

cesso primo antecedente, nimirum, hominem destitutum naturæ integritate non posse viribus suis totam naturæ legem sine lapsu servare, negatur consequentia, videlicet donum integrans naturam esse naturæ debitum. Quia in physico rigore solum debentur naturæ intrinsece facultates cum generali concursu causæ primæ influentis in causas secundas, et cum illis juxta exigentiam illarum et generalis ordinis universi. Quod autem in tali natura sic composita, nempe humana ex corpore et spiritu constante, inde oriatur naturalis repugnantia inter facultates appetendi quasi contrarie in suis motibus, naturalis hominis imperfectio est, quam non tenetur auctor naturæ tollere, vel impedire, et ideo non potest esse tali naturæ debitum, ut Deus illos motus impediatur vel quod naturales inclinationes auferat, sed potius postulat ordo mere naturalis ut generalem concursum illis appetitibus non denegat, suosque motus illos agere sinat. Sicut habere corpus corruptibile et morti obnoxium, imperfectio quædam est, ita vero naturam consequens, ut status immortalitatis, quem homo habuit ante peccatum, non potuerit esse connaturalis, nec ex naturæ debito, sed potius ex liberalitate Dei præter debitum naturæ.

14. *Primæ, et secundæ probationi satisfi.* — Unde, ad primam consequentiæ probationem, respondetur debitum quidem esse unicuique naturæ principium, et concursum consentaneum actibus naturalibus, non tamen esse debitum ut tollantur omnia impedimenta quæ ex aliarum causarum communi cursu accidere possunt. Unde ad alteram probationem, respondetur negando sequelam, nam licet ex illo intrinseco defectu naturæ contingat sequi peccatum, non potest Deo attribui, quia illa occasio mere naturalis est; consummatio autem culpæ semper est voluntaria et libera proximo operanti, a Deo autem non est intenta, sed juste permissa, quia non tenetur omnes defectus creaturarum supplere aut impedire. Ideoque merito dixit Augustinus, 1 *Retract.*, capite nono, licet ignorantia et difficultas essent a principio in natura, non ideo Deum culpandum, sed laudandum fuisse. Eo vel maxime quod homo sic institutus, cum solis auxiliis naturæ debitis, interdum ac sæpe posset honeste operari, licet non semper, ut libro sequenti dicam. Quia vero per donum integritatis, quando datur, natura ipsa juvatur, et aptior redditur ad ipsas naturales actiones perficiendas, ideo homo, quan-

do tale donum semel acceptum peccando amisit, dicitur fuisse in naturalibus læsa, ut cum Beda theologi loquuntur, et infra explicabimus.

15. *Solutio brevis confirmationis.* — Ad ultimam autem confirmationem, quæ attingit difficultatem, quomodo posset homo in puris naturalibus conditus naturalem beatitudinem assequi, non possumus hoc loco ex professo satisfacere, nam pertinet ad materiam de Beatitudine, 1. 2, quæstione quinta, et ideo breviter dico integritatem naturæ non fuisse medium simpliciter necessarium ad naturalem beatitudinem consequendam. Nam imprimis in anima separata posset beatitudo illa obtineri ab aliquibus, qui in hac vita non peccarent, ut maxime essent, qui ante usum rationis decederent. Pro adultis vero in hac vita peccantibus posset Deus modum aliquem illi statui proportionatum, quo a culpa liberarentur, statuere, ut attingi in materia de Pœnitentia, et in discursu præsentis libri iterum occurret. Denique posset etiam Deus tunc juvare homines ad non peccandum per moralia auxilia non attingentia supernaturalem ordinem. Quod si tunc ita se gereret DEUS cum humana natura, non proprie extraheret illam ultra statum puræ naturæ, quia neque ordinaret illam ad finem supernaturalem, neque propriam gratiam illi donaret, quia hæc non reputatur talis, nisi in ordine ad veram sanctitatem et supernaturalem beatitudinem obtinendam, nec denique daret illi integritatem naturæ, ut dixi. Illa igitur esset quædam moralis providentia consentanea naturæ rationali, quæ mutabilis est, non solum physice, sed etiam moraliter. Neque posset dici illa providentia debita ex parte ipsius naturæ, sed solum veluti ex naturali misericordia Dei, quia talis natura esset indigens, et omnino divinæ Sapientiæ ac liberalitati consentaneum esset, ut illi provideret. Atque hinc posset definiri alia quæstio de statu puræ naturæ in ordine ad auxilia gratiæ ad operationem honestam aliquando perficiendam: quæ pendet ex dicendis in libro sequenti, et ideo breviter in sequenti capite illam expediemus, graviorem disputationem in librum sequentem remittendo.

CAPUT III.

UTRUM STATUS INNOCENTIÆ SEU ORIGINALIS JUSTITIE, ULTRA STATUM PURÆ ET INTEGRÆ NATURÆ ALIQUID ADDAT?

1. *Varii modi assignandi discrimen inter originalem justitiam et naturæ integritatem.*

—Explicuimus quomodo status integræ naturæ a statu puræ naturæ differat; nunc, ad perfectam ejusdem status cognitionem, oportet de justitia originali aliquid dicere, et illam cum integritate naturæ comparare. Suppono autem statum innocentie et originalis justitiæ, juxta usitatum horum verborum significationem, eundem esse, ut mox declarabo. De comparatione autem illius ad statum integræ naturæ videtur esse aliqua controversia inter theologos. Aliqui enim non distinguunt statum integræ naturæ ab statu innocentie vel originalis justitiæ, ut constat ex divo Thoma 1. 2, q. 109, art. 1 et 2; et Soto, libro primo de Natur. et Grat., cap. 5 et 6, quem alii sequuntur. Alii vero, distinguentes hos status, dicunt statum originalis justitiæ solum addere, ultra naturam integram, pactum et promissionem Dei transfundendi in posteros donum illud integritatis naturæ, si primus homo, qui illud recipit, illud peccando non amitteret. Ita ut status ille dicatur integræ naturæ respectu cujuscumque personæ cum ea perfectione conditæ, etiamsi pro se tantum illud donum accipiat; originalis vero justitia dicatur solum quando datur veluti pro toto genere, seu per originem transfundenda, si per primum recipientem steterit. Sed hæc differentia parva est, et valde extrinseca, nam, in ordine ad effectus, privilegium (ut sic dicam) idem est, et solum differt in ordine ad subjecta quibus conceditur; secundum quam duplicem habitudinem, seu considerationem, potest quidem integritas naturæ vocari personalis, si pro una tantum persona detur, ut fuit in Beata Virgine, et potest dici originalis, si pro tota progenie concedatur; proprie autem non dicitur status naturæ, nisi quatenus pro ipsa specie aliquo modo conferatur, saltem sub conditione non peccandi. Hoc autem modo etiam justitia illa quam originalem vocamus, posset concedi uni personæ pro ipsa tantum, vel simul pro posteritate, et ita nulla relinquitur distinctio, nisi in nomine. Aliter ergo Cajetanus, in dicto articulo secundo, distinguit inter dictos status, quia justitia originalis addit supra integritatem naturæ indefectibilem ordinem, et corporis sub anima, et inferioris appetitus sub superiori, quamdiu superior est subditus Deo. Quod amplius non declarat. Duas tamen videtur in illis verbis includere conditiones status originalis justitiæ: una est, quia solum est datus sub illa conditione, ut solum duraret quamdiu voluntas servaret debitam subjectionem ad Deum,

et in hac non credo differre ab statu integræ naturæ, nam hæc etiam data est de facto sub eadem conditione, quantum ad durationem ejus: de possibili autem posset Deus utrumque statum donare sine tali limitatione. Altera conditio est, quod justitia originalis includebat indefectibilem ordinem corporis sub anima, quam integritas naturæ non includit. Et differentia vera mihi videtur, longiori tamen declaratione indiget.

2. *Primus innocentie modus.* — *Alter excellens innocentie modus.* — Ut ergo rem totam explicem, adverte imprimis duobus modis posse aliquem statum dici innocentie, seu justitiæ originalis, quos oportet distinguere, ne propter solam vocum ambiguitatem controversia oriatur, ut illos distinxit Henricus, quodlib. 6, quæst. 11. Primo enim innocentia, ut sic, tantum significat carentiam culpæ, et hoc modo omnis persona a Deo immediate creata, in statu innocentie creatur, et quia talis innocentia ex tali origine et emanatione a Deo provenit, qui non potest esse auctor peccati, ideo innocentia illa dici potest originalis. In hac ergo significatione homo proxime creatus a Deo, sive in natura integra, sive in pura natura, dici potest creatus in innocentia originali, et quamdiu non peccaverit, dici potest in illa innocentia originali stare, seu permanere. Eademque innocentia dici potest, quædam originalis justitia non supernaturalis, sed naturalis, quatenus rectus ordo, quem natura bene instituta ad suum habet auctorem, quamdam participationem, seu imaginem justitiæ præ se fert. Jam vero altiori modo sumitur innocentia seu justitia originalis, a qua status innocentie seu originalis justitiæ denominatus est. Per innocentiam enim intelligimus non solum carentiam culpæ præteritæ vel præsentis, sed etiam futuræ, quantum est ex vi status, qui sub tali conditione et perfectione consideratur, ut sit aptissimus ad innocentiam servandam, et secum nullam culpam compatiatur, imo nec defectum aliquem ex his qui nunc sunt effectus culpæ. Et hic status per antonomasiam vocatur status innocentie, vel etiam dicitur status justitiæ originalis: justitiæ quidem, vel quia innocentia est quædam justitia, ut dixi, vel quia talis status semper supponit supernaturalem justitiam, ut mox dicemus; originalis autem, quia et in ipsa origine creata fuit cum homine, et quia si homo in illo statu perseverasset, justitia illa per originem ad posteros dimanasset.

3. *Prima excellentia homini collata in statu innocentiae est erroris immunitas.* — Ad considerandum autem hunc statum in humana natura, occasionem sumpserunt theologi ex his quæ Deus contulit primo homini a se condito, quæ in prima parte latius considerantur; hic autem breviter supponenda sunt, ut quæstio proposita intelligi ac definiri possit. Dicimus ergo, præter perfectiones spirituales supernaturalis ordinis quas Deus primo homini a se creato contulit, et præter scientias naturales vel alios habitus ordinis naturalis quos infudit per accidens, seu præter naturalem modum productionis quem postulant, quatuor proprietates alias seu prærogativas illi contulisse. Prima est immunitas ab errore seu deceptione, quamdiu non peccaret. Hoc non ut certum, sed ut probabilius asserimus cum D. Thoma, 1 part., quæst. 94, artic. 4, ubi Cajetanus et alii, et nonnulli ex scholasticis in 2, distinct. 23, ubi Bonavent., quæst. 2; Durand., quæst. 3. Estque clara sententia Augustini lib. 3 de Lib. arbit., cap. 18, ubi sic inquit: *Illam enim peccati poena justissima, ut qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse cum velit: nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista poenalia, ignorantia et difficultas.* Idem sumitur ex eodem Augustino in Enchirid., cap. 24. Ratio vero reducenda est in dispositionem divinæ providentiæ, quæ illum statum cum tanta perfectione constituere voluit, ut homo poenale aliquid non pateretur, priusquam culpam aliquam committeret; error autem et deceptio, imo et ignorantia eorum quæ sciri debent, malum quoddam poenale est.

4. *Excellentia secunda, immunitas a peccato veniali, et incompatibilitas cum lethali.* — Secunda prærogativa sub eadem probabilitate est, immunitas a culpa veniali et incompatibilitas cum mortali. Declaratur, quia ille status non tollebat possibilitatem peccandi mortaliter, ut est de fide certum, et effectus ostendit: non poterat tamen durare cum illo, quia per peccatum mortale amissus est, et per quodlibet aliud grave amitteretur, ut nunc supponimus, licet aliqui aliud senserint, quibus in prima parte responsum et satisfactum est. Sic ergo dicimus statum illum fuisse incompatibilem cum peccato mortali. Per veniale autem non est verisimile fuisse perdendum illum statum, et ideo probabilius credimus statum illum fuisse immunem a culpa veniali, id est, non potuisse hominem sic conditum venialiter peccare, nisi prius peccando

mortaliter statum illum amitteret. Quæ est sententia D. Thomæ 1. 2, quæst. 89, art. 3, ubi interpretes, et nonnulli scholastici in 2, distinct. 21. Et sumitur ex August., 14 de Civit., cap. 10 et sequentibus, usque ad 27. Ratio vero propter dictam providentiam divinam est, quia si homo peccasset venialiter, eo ipso esset dignus aliqua poena; ergo vel omnino amitteret illum felicem statum propter solum peccatum veniale, quod durissimum est, vel durante statu poenalitatem aliquam esset luiturus, quod statui repugnat.

5. *Tertia excellentia, immortalitas.* — Tertia immunitas est a morte, quia si homo illum statum non amitteret, non moreretur. Et hæc est certa de fide, ut sensit August., Epist. 105 et 106, et de Fide ad Pet., cap. 23, et fere in omnibus libris contra Pelagium, qui oppositum errorem docuit, contra quem dixit etiam Prosper, lib. 1 de Vocat. gent., cap. 7: *Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animique corruptio.* In Concilio Milevitan. et Araus. damnatus est, et in Tridentino, sess. 5, quæ definiunt mortem esse poenam peccati, juxta comminationem a Deo factam Genes. 2. Et ideo per peccatum introducta est mors in orbem terrarum, teste Paulo ad Roman. 5, et 1 Corinth. 15. Et explicatur optime Sapient. 1, ubi hac ratione dicitur: *Deus mortem non fecit, quia non fecit peccatum, per quod solum introduci potuit; ergo status hominis ante peccatum fuit a morte immunis; ergo hæc immunitas pertinuit ad statum innocentiae, ut latius D. Thomas, 1 part., quæst. 97, art. 1, et alii scholastici in 2, distinct. 21.*

6. *Excellentia quarta, non dolor, non tristitia.* — Qui etiam addunt, neque vestigium mortis (ut sic dicam) fuisse in illo statu, id est, neque dolorem, neque tristitiam, neque passionem aliquam ex his quæ malum supponunt. Quæ est quarta prærogativa illius status, non quidem tam certa, sicut præcedens, longe tamen probabilior quam contraria, ut sumi potest ex Augustino locis citatis, et lib. 6 Genes. ad litteram, a cap. 19, et Bernard., serm. 1 de Annuntiatio, et serm. ad Milites templi, cap. 11. Ratio autem est eadem, quia hæc omnia sunt mala poenæ, quæ ex suavi Dei ordinatione in natura intellectuali supponunt culpam: unde Eccles. 7 omnes humanæ miseriæ peccato tribuuntur; illi autem affectus quacumque ratione affligentes animum, merito inter humanas miseras computantur. De his autem immunitatibus seu effectibus originalis justitiæ, quomodo et per quæ dona

fierent, longa est disputatio, sed illa ad primam partem proprie pertinet; in præsentem autem loco sufficit quod illi omnes effectus sine aliquo dono superante naturam fieri non poterant, ut per se ex sola ipsorum enarratione est manifestum, et ex dictis in duplici præcedenti capite sufficienter probari potest: nam quæ ibi dicta sunt cum proportionem possunt in præsentem applicari.

7. *Multum differt status justitiæ originalis a statu puræ naturæ.* — Assertio prima. — His ergo positis, facile est positam quæstionem definire; dicendum enim est primo, statum justitiæ originalis multum differre a statu puræ naturæ. Patet, tum quia includit integritatem naturæ; tum etiam quia omnes effectus, seu privilegia numerata nullo modo possunt dici connaturalia homini; quia nec ex principiis naturæ oriuntur, neque sunt debita puræ naturæ ac nude spectatæ. Neque in hoc apparet difficultas. Solum invenio Henricum, dicta quæst. 11, qui æquiparare voluerit statum puræ naturæ, et statum justitiæ originalis in mortis immunitate, quia homo in statu justitiæ originalis non erat ita immortalis, ut non posset mori, sed ita ut posset non mori, non peccando, peccando autem fieri posset mortalis: hoc etiam est tribuendum homini in pura natura, quia non peccando posset non mori, neque moreretur si non peccaret, quia non posset poenam incurere sine culpa. Sed hoc non recte dicitur; tum quia, licet homo in pura natura existens non peccaret, posset mori, imo necessario moreretur, nisi per aliquod donum vel providentiam naturæ non debitam præservaretur; neque tunc mors esset poena, sed esset defectus quidam naturalis, sicut fames et sitis; tum etiam quia, ut idem Henricus fatetur, homo relictus in pura natura, non ita posset conservare innocentiam naturalem, quin aliquando graviter caderet, et sic etiam non posset non mori ex vi naturæ, etiamsi ad mortem necessarium esset peccatum. In statu autem justitiæ originalis constitutus, homo posset nunquam peccare per vires liberi arbitrii, teste Anselmo, de casu Diaboli, c. 2, et dicitur latius in sequentibus, et ita simpliciter posset non mori ex vi talis justitiæ. Est ergo in his magna differentia inter utrumque statum.

8. *Originalis justitiæ status statum naturæ integræ includit, et in quibusdam superat.* — Assertio secunda. — Dico secundo: status innocentiae seu originalis justitiæ statum integræ naturæ includit, et illi aliqua privilegia

superaddit, et ita in ordine ad effectus physicos multum differunt; in ordine autem ad moralem potestatem bene operandi, fere nihil aut parum differunt. Priorem partem docet Cajetanus, dicta quæst. 109, art. 2, § *Ad evidentiam*, quem moderni sequuntur. Et est clara ex dictis. Constat enim integritatem naturæ, quæ in superioribus explicata est, esse separabilem ab his privilegiis justitiæ originalis, quæ in hoc capite proponimus. Imo, de facto, Beatissima Virgo habuit illam integritatem naturæ per earentiam fomitis, et tamen non habuit omnia dicta privilegia, nimirum ea quæ pertinent ad immortalitatem et ad impossibilitatem poenarum corporalium: quod suo modo etiam in humanitate Christi Domini inventum est; et ratio est, quia isti effectus reipsa distinguuntur, et ideo possunt separari. Unde etiam ex privilegiis originalis justitiæ potest unum et non aliud communicari, juxta dispositionem divinæ providentiæ: et ita potest quis constitui in statu inchoato, vel dimidiato justitiæ originalis, sine complemento illius, quia nullam involvit repugnantiam, et potest habere congruentem rationem, ut in eisdem exemplis Christi et Virginis videre licet: semper tamen originalis justitia, imo et singula privilegia ejus supponunt naturæ integritatem, non quia impossibile sit Deo hæc privilegia communicare sine integritate naturæ: sed quia hæc factum non est, neque attento convenienti rerum ordine videtur fieri posse consentaneæ ad rerum naturas, et ideo dici potest suo modo impossibile, secundum ordinariam legem. Et ita videbimus in sequentibus neminem, qui non fuerit factus a fomite immunis, præservatum esse ab omni culpa, etiam veniali, et consequenter nec a corporis mortalitate, et aliis imperfectionibus. Sic ergo constat statum originalis justitiæ supponere, seu includere statum integræ naturæ, addere vero prædicta privilegia, et effectus eorum, quos constat esse physice et reipsa diversos a sola naturæ integritate, prout supra explicata est.

9. *Secunda assertionis pars probatur.* — Posterior pars assertionis declaratur imprimis ex communi modo loquendi theologorum, qui de statu naturæ integræ et originalis justitiæ, tanquam de uno, frequentius loquuntur, ut patet ex D. Thoma, quæstione centesima nona; Soto, et aliis allegatis. Quod quidem esse non potuit quia non intellexerunt illos effectus esse distinctos et separabiles, sed quia vel considerarunt omnes esse necessarios ad

perfectam naturæ integritatem, et ita illam confundunt cum originali justitia, quod pertinet tantum ad usum vocum, vel quia in ordine ad potestatem moralem operandi bonum, eadem videtur esse ratio utriusque status, quod magis pertinet ad rem ipsam, et ideo amplius declarandum est. Nam imprimis sicut status naturæ integræ præcise spectatus non includit necessario ordinem ad finem supernaturalem, ita neque status originalis justitiæ: posset enim Deus omnia dicta privilegia conferre homini non elevato ad supernaturalem finem, ut per se notum videtur. Deinde, sicut in natura integra non posset homo efficere supernaturales actus sine gratia superioris ordinis, ita neque in statu originalis justitiæ, ut docent theologi, divus Thomas supra, et alii cum Magistro in secunda, distinctione vigesima-nona, capite primo, et in sequentibus videbimus.

10. *Moralis potestatis in utroque statu adhuc quasi identitas declaratur.* — Et eadem ratione, sicut potest esse homo integer dicto modo sine gratia sanctificante, ita etiam potest esse in statu innocentiae seu originalis justitiæ. Imo ita de facto fuisse censuerunt theologi allegati capite quinto; decepti tamen sunt, quia si integritas naturæ sine gratia sanctificante communicata non est, ut ostendimus, multo minus originalis justitia, cum hæc non detur sine integritate naturæ. Denique, sicut homo in natura integra potest bene moraliter operari, cavendo omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia collective, ita idem potest in originali justitia. Quanquam in hoc potest constitui aliqua differentia; tum secundum majorem aut minorem facilitatem; nam hæc videtur esse major in homine habente omnia privilegia justitiæ originalis, quia ex parte intellectus et corporis est melius dispositus, ut ex dictis constat: tum secundum quemdam ordinem, quia homo in solo statu integræ naturæ existens posset prius venialiter peccare, quam mortaliter, quia nihil haberet quod illum impediret præternaturaliter, et ex natura rei id non repugnat, et ita posset facilius peccare; homo vero in originali justitia constitutus, non posset prius venialiter peccare quam mortaliter, ut supponitur ex speciali dono, et ideo facilius etiam posset non inchoare peccatum. Propter hæc ergo dixi esse inter hos status parvam, aut nullam differentiam quoad moralem potestatem, et ob eandem causam in sequentibus de illis ut de uno loquemur, quia in ordine ad absolu-

tam gratiæ necessitatem, eandem rationem induunt.

CAPUT IV.

QUALIS SIT GRATIÆ STATUS, ET QUOMODO CUM ALIIS CONJUNGI VEL AB EIS SEPARARI POSSIT?

1. *Duo gratiæ status, extrinsecus et intrinsecus.* — Status gratiæ duobus modis accipitur. Primo large, quatenus naturæ addit solam ordinationem ad gratiam internam, seu ad finem ejus, per sufficientia media, divina providentia præparata: nam hæc ordinatio gratiæ quædam est, et supernaturale beneficium ratione finis supernaturalis. Est autem gratiæ extrinseca tantum, quia per se nihil formaliter in homine ponit, licet radix omnis gratiæ intrinsecæ dici possit. Alio autem modo magis proprio dicitur status gratiæ, ille qui per intrinsecam formam inhærentem personæ et sanctificantem illam constituitur. Priori modo impropriissime dicitur ille status gratiæ, quia secundum illum loquendi modum diceretur esse in statu gratiæ, etiam homo ille qui est in peccato, si ordinatus est ad supernaturalem finem, quod tamen non est in usu, quia status ille solum dicit extrinsecam ordinationem generalem Dei, et non petit intrinsecam formam, vel perfectionem personæ, quæ ad bene operandum vires præbeat. Proprius autem gratiæ status intrinsecam formam requirit, quam per antonomasiam gratiam sanctificantem appellamus, cum donis quæ illam consequuntur, de quibus postea dicemus: sed licet hoc verum sit, nihilominus illa duo membra quasi per analogiam distinguimus, ut proposita quæstio plene possit explicari.

2. *Improprius status cum statu puræ omnino naturæ compatibilis non est, bene tamen cum statu viæ.* — Comparando igitur priorem modum status ad alios supra numeratos, imprimis inveniemus eum omnibus conjungi posse, præterquam cum natura omnino pura. Dixi omnino puram, quia potest esse pura ab integritate, et a justitia originali, et donis supernaturalibus gratiæ, et a culpa, et nihilominus esse ordinata ad finem supernaturalem per alia media, seu auxilia divinitus præparata, licet nondum sint collata, quia in hoc nulla est repugnantia. De facto autem nunquam ita inventa est, ut ex dictis facile constare potest, et magis ex sequentibus patebit. At vero in aliis omnibus statibus humanæ naturæ inveniri potest hæc elevatio, et de

facto invenitur in statu viæ. Quia et homo in natura integra ordinatus fuit ad illum finem, et post lapsum non amisit illam habitudinem, et ideo medium redemptionis, quo posset, non obstante communi lapsu, finem illum consequi, Deus illi misericorditer providit. Et inde est, ut dicebam, ut homo lapsus, etiam dum jacet sub peccato, illum statum retineat, quia semper potest comparare gratiam, quamdiu in hac vita durat. Deinde manifestum ex dictis est puram naturam separabilem esse ab hoc statu, quia potuit ad supernaturalem finem non ordinari, ut satis in capite tertio probatum est. An vero idem dicendum sit de natura integra, vel in originali justitia constituta, videndum superest.

3. *Prima sententia affirmans statum gratiæ debitum statui naturæ integræ.* — In hoc enim puncto aliam invenio Michaelis Baii propositionem, ordine 21, in qua sic inquit: *Humanæ naturæ exaltatio et sublimatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis*, ubi manifeste sentit naturæ integræ debitum esse statum gratiæ, ac proinde non potuisse ab illo, saltem secundum legem ordinariam, separari. Fundamentum autem quo ductus fuerit, apud ipsum non legi, quia nec ejus opera videre potui, nec ab aliis refertur. Quare suspicor auctorem illum sensisse gratiam esse humanæ naturæ debitam, si per aliquod peccatum non impediatur: unde per integritatem primæ conditionis nihil aliud intellexisse videtur, quam naturæ innocentiam, cui sensit esse connaturalem elevationem ad divinæ naturæ consortium. Potest etiam pro hac opinione adduci D. Thomas, 1 part., quæst. 93, art. 1, ubi probat hominem primum fuisse in gratia creatum, quia per gratiam subdebatur superior voluntas Deo, et inferior appetitus superiori, in qua subjectione integritas naturæ consistit. Nam hinc sequitur integritatem illam fuisse effectum gratiæ, ac subinde non posse ab illa separari. Est tamen discrimen, quia juxta hanc sententiam divi Thomæ non erit gratia debita integritati naturæ, ut Baius dicebat, sed potius integritas erit debita gratiæ in ipsa naturæ institutione eidem collatæ. Utroque autem modo sequi videtur statum integræ naturæ non esse separabilem a statu gratiæ.

4. *Opposita et vera sententia.* — Nihilominus contraria sententia omnino vera et certa est, quæ sumitur ex doctoribus præcedenti

capite allegatis, præsertimque ex Cajetano et modernis, in 1. 2, question. 109, in princip.; et ex Alense, et aliis quos statim referam. Ad illam igitur explicandam, statuo imprimis statum integræ naturæ, vel originalis justitiæ, ut supra explicatus est, per se non ordinare vel sublevare hominem ultra naturalem finem, sed solum addere donum liberaliter datum ultra totum naturæ debitum, conferens rectitudinem quamdam in ordine ad honestatem, et consummatam perfectionem naturalem. Hæc assertio communis est apud auctores allegatos et statim referendos, et quoad utramque partem facile potest ex dictis probari. Ratio ergo prioris partis est, quia per hoc donum solum subvenitur illi imperfectioni et infirmitati, quæ nascitur ex naturali inclinatione appetitus sentientis, et ex naturali modo cognoscendi hominis, incipiendo a sensibilibus objectis, quæ naturaliter movent sentientem appetitum, et ex aliis corporis defectibus; sed tota hæc imperfectio potest impediri, sanari, ac componi sine ordinatione hominis ad finem supernaturalem: ergo integritas naturæ, per se ac præcise spectata, non includit illam ordinationem. In hoc ergo convenit status naturæ integræ præcise sumptus cum statu puræ naturæ, quod uterque includit debitum ordinem ad Deum, ut finem naturalem, neuterque eorum ordinationem hominis ad ulteriorem finem requirit.

5. *Status gratiæ intrinsecam habitudinem ad Deum dicit, secus naturæ integræ.* — Et hinc infertur statum integræ naturæ distinctum esse a proprio statu gratiæ, et separabilem ab illo. Probatur, quia status gratiæ intrinsece includit habitudinem ad Deum, ut supernaturalem finem: imo et proportionem intrinsecam connaturalem ad visionem ejus: sed status naturæ integræ per se non postulat illam habitudinem, nedum intrinsecam proportionem: ergo non requirit statum gratiæ: unde etiam constat esse separabilem ab illo, quia est inferioris ordinis, et non est unde habeat talem connexionem cum statu superioris ordinis. Adde statum gratiæ posse separari ab statu integræ naturæ, ut patet in hominibus justis, qui sunt in hoc statu naturæ lapsæ. Eademque, vel majori ratione, potuisset Deus, si voluisset, creare hominem innocentem, et in statu gratiæ, et sine integritate naturæ, id est, cum fomite et concupiscentia naturali, non pœnali, quia perfectio gratiæ per se non requirit illam integritatem, tum quia est diversi ordinis et rationis, tum